Michaël Mekelburg

DISPVTATIO PHYSICO-MEDICA

De

CONSENSU PARTIUM CORPORIS

Inter se mutuo.

Quam

IN ILLVSTRI ELECTORALI ACADEMIA REGIOMONTANA

Pro obtentâ in Facultatem Medicam Receptione

PUBLICO EXAMINI

Subjicit

JOHANNES BARTHOLOMÆVS CRUGER Med: Licent:

Respondente

BENEDICTO HAUSMANNO

Svidniciensi Silesio.

In acroaterio majore horis â septimâ matutinis die 24. Martij

Typis LAVRENTII SEGEBADII,

ANNO M. DC. XXXV.

SERENISSIMO ET CELSISSIMO AUGUSTISSIMI ROMANI IMPERII ARCHICAMERARIO ET ELECTORI, PRINCIPI MARCHIONI BRANDENBURGICO

GEORGIO GVILHELMO

PRINCIPI PRUSSIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINENSIUM, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, IN SILESIA, CROSNÆ & CARNOVIÆ, BURGRABIO NORIBERGENSI, PRINCIPI RUGIÆ, COMITI MARCHIÆ, & RAVENSBURGI, PRINCIPI & DOMINO IN RAVENSTEIN, DOMINO CLEMENTISSIMO

Hasce positiones humilimè

D. & O.

JOHANNES BARTHOLOMÆVS CRVGER, Med. Lic.

IN NOMINE CRUCIFIXI

Præloquium

Apostolus Paulus quando Ephesios ad concordiam cohortari instat cap. 4. Epistolæ suæ, concinnā sanè adducit rationem ex ipsa natura petitam: Scilicet partium corporis consensum mutuum urget. Nobis etiam id dictum putemus! Simus igitur & nos concordes. Sed & partium corporis nostri insignem Harmoniam ex anatomicis petamus.

I. THESIS.

Omittimus autem studio definitionem, quum non ratione actûs signati, sed exerciti, neq; etiam in quæstione τȣ̃ ὅτι, sed potius τȣ̃ διότι versaturi simus.

II.

Cæterum consensus datur vel inter duo corpora, isq; vel harmonicus, ut quando duo corpora sibi invicem planè similia compatiuntur, quale exemplum annotavit Amatus Lusitanus. Vel parabolicus, scilicet factà ad affectûs cõparatione, ut quando illi, amasiæ suæ assidenti vena in temporibus spontè aperta fuit, quod notat Cornax Consult: Med: lib. I. c. 3. Et adversarius adversarium videns vulnus acceptum recrudescere sensit, ubi tamen potius dissensus, ut est apud Hildanum cent: 1. obs. 18. Sed eum consensum hîc non attendimus.

III.

Vel in uno corpore; isq; vel per se, vel per accidens. Hoc modo fieri potest vel incuriâ medentis, ubi levissimum vulnus evadere potest lethale; vel causæ malignitate, cùm non rarò consensus per se exasperatur, qua ratione punctura vespæ in metacarpio lethalia symptomata peperit. Hildanus cent: 4. obs. 77. Vel ratione decubitûs materiæ, qua ratione ex absentia spirituum animalium gangræna sequuta est, ut habet Hildanus cent: 1. obs. 3. Vel ratione obstaculi alicujus, quem ferè in sensum Horstius epist. Med. Sect. 5. in trichiasi fieri maciem ostendit ob pilos poros occludentes. Sed neq; hunc consensum hic acceptum volumus.

IV.

Consensus per se etiam diversimodè considerari potest vel Mathematicè quatenus partes in justâ mensura, pondere, ac proportione mutuas operas locant qua de re insignem habet epistolam Jacobus Mullerus ad Horstium sed neq; hunc persequemur; Vel anatomicè qui fit propter connexum seu conjunctionem isq; vel per partes similares vel dissimilares & organicas; quô ferè collineare videtur Forestus lib. 11. obs. 44. dum consensum facit duplicem vel transmissis vaporibus & humoribus, vel non transmissis. Et hic noster scopus esto.

V.

Sed hîc notandum sæpè DEI singulari providentiâ consensum etiam hunc quasi cohiberi, ut videre est in magnis vulneribus E. G cerebri non semper vomitum biliosum vel alia gravia sequi symptomata, sed sæpè curam feliciter succedere, Exempla sunt apud Hildanum

danum l. 1. obs. 13. Sennert. l. 1. prax. & alios. Incredibile ferè verum tamen ut ἀυτόπτης testatur Petrus Payv. part. 1. de oss. c. 8. quendam alâ molæ ita læsum fuisse, ut per transversum musculus temporalis non solum laceratus esset, verum insuper subjectum os ita fractum, uti fragmenta aliquot per vulnus eximerentur, qui sine ullo symptomate convaluit.

VI.

Ad partes similares referimus membranas quarum ratione maximum fieri consensum nemo esse potest qui dubitet. Ad partes dissimilares seu organicas vasa & ligamenta. His mediantibus consentire invicem dicuntur vel quatenus sunt continuæ vel quatenus contiguæ.

VII.

Equidem strictissimè loquendo partes corporis organicæ continuæ non sunt, neq; ita continuæ ut partes similares, continuæ tamen revera sunt sensualiter & ratione συνθέσεως seu προσφύσεως potius ut vocat Arist. 5. phys. c. 3. qua communi vita fruuntur ut notat Sennertus Inst. l. 1. c. 7. & l. 2. part. 1. c. 10. Contiguæ autē nobis dicuntur quæ positûs sive sitûs respectu ? non veræ connexionis aliqualem inter se sortiuntur consensum.

VIII.

Membranarum respectu consensus est maximus oris & ventriculi. Hinc in vomiturientibus labium inferius videmus tremulum vide Gal. 1. prorrhet cōm: & Hippocr. Et ventriculo vitioso humore imbuto saporem statim in linguâ percipimus. Imò contrà affecto gutture ventriculus quandoq; compatitur, ut exemplum est apud Hildanum cent. 1. obs. 27. de quâdam

 mulie-

muliere quæ coloniæ citra imprægnationem cum cir-
ca fauces maligno ulcere divexaretur, per intervalla pica laboravit, quod ut præternaturale fuisse autori facilè largimur, itacum DEUS agat per media, ex hoc consensu non male forsan ob humorum per certa tempora peculiarem corruptionem evenisse auguramur.

IX.

Imprimis quum videamus affecto ventriculo ita affici partes oris internas ut exulcerentur quoq;, quod ostendit Historia ejusdem Hildani eadem centur: obs. 59. ubi ventriculo vermibus obsesso erosionem gingivarum incurabilem ortam asserit. Imò ratione connexionis membranosæ insignis consensus coli & ventriculi, hinc manè in lecto diutius jacentibus nec dormientibus sæpius nausea & vomitus, & cardialgia oriuntur, & exinde etiam per consecutionem consensus cum corde, vide Platerum tom: 2. prax. c. 11.

X.

Imò Forestus l. 11. obs. 44. Hepar quoq; ea ratione cum partibus supernis consensum habere statuit ubi jecore, inquit, inflammationem patiente dolor ad jugulū pervenit; & oris ventriculi morsum sequitur labij inferioris tremor: Sic affectis interdum partibus infernis per continuationem quam cum capite habent sine ullo humorum aut vaporum transmissione dolor ad ipsum defertur,

XI.

Ratione membranarum procul dubio etiam accidit quòd, ut docent Bauhinus anat: l. 2. c. 26. Et Platerus tom: 2. prax: c. 10. nulla sit vera pleuritis ubi non simul pulmo afficiatur, comprobant hoc partim experientiâ anatomicâ; 2. ex excreationibus. 3. ex
acci-

accidentibus communibus ut tussi. Videatur Platerus d. l.

XII.

Hinc explicandus aphor: Hippocr. 27. l. 7. ubi prægnanti tenesmum supervenientem abortûs causam dicit; Præterquam enim quòd situs hîc â plerisq; accusatur, non malè membrana qua connectuntur invicem & vestiuntur conjugi poterit Vide Heurn. cõm. in d. aph. Sic ventriculus inflammatione hepatis ad singultum, vesica ad recti intestini vel uteri inflammationem purulentosq; renes ad stranguriam disponitur secundum aphor. 58. l. 5. Hippocr. Ratione membranæ quoq; accidit ut solem aspicientes ad sternutationem commoveamur.

XIII.

Considerandus in his ipsis mirandus naturæ κατ' ἴξιν quoq; consensus. Non diffitemur cum Sennerto â vaporibus fieri capitis dolorem affecto utero l. 1. Prax. part 3 sect: 1. c. 3. cur v. affecto utero occiput ut plurimùm doleat ut notant Joubertus, Langius, Mercatus & alij, eum etiam dolorem sine vaporibus fieri posse mediante membranoso connexu cum spina ex eodem Sennerto l. 1. prax: part: 5. c. 6. statuimus, Rondeletij distinctionem utpote vero congruam ambabus arripientes manibus.

XIV.

Jam vasa quod concernit, quum sint triplicia; Arteriæ, nervi & venæ etiam triplici ratione fieri consensum probabile est. Equidem an ratione tunicarum vel cavitatum is fiat accuratius considerari posset; non malè tamen statuitur ratione utrarumq;. Videmus certe epithemata pulsibus applicata cor quam maximè confortare. Et hinc rationem reddit Adrianus

Spi-

Spigel: de hum: corp: fabr. l. 6. c. 4. cur suppositoria ex elleboro albo facta eadem symptomata efficiant qualia elleborus assumptus per os; & epomphalia ventrem non intrenuè purgent.

XV.

Hinc oriri potest consensus lienis & cordis, quamobrem in morbis lienis cordis palpitationes, lypothymiæ &c. non sunt infrequentia. hinc & lien principium iræ statuitur cui quoq; adstipulatur Sennertus, Et uterus quam maximè cordi affinis. Unde Calpurneus Romæ, ut ditesceret, uxores suas tangendo genitalia succo Aconiti interemisse legitur, notante Augusto Etzlero Isag: physicom: p. 7. Hinc vice versa corde affecto totum corpus labitur.

XVI.

Venarum respectu consentiunt partes venæq; inter se invicem I. ratione ἴξεως, ut saphæna interna majorem habet consensum cum utero quam externa quæ potius ischiatica secundum Arabes; quò etiam spectat aph: 36. lib. 6. Hipp. Vide Holler: in comm: Ita criticæ evacuationes secundum rectitudinem si fiant bonæ sunt. Hinc uno rene affecto in consensum trahitur alter quod notat Riol. l. 2. c. 26. II. Ratione officialis actionis qua vena nutrimentum parti defert, unde affecto liene ventriculus vix benè se habere poterit quia per vas breve nutrimentum defertur. III. Ratione anastomoseos, hinc consensus uteri & mammarum adeò ut (secundùm anatomicos) fœminæ si mammæ ipsis contrectentur, libidine tententur; propter anastomosin venarum & arteriarum epigastricarum cum mammariis internis. Huc pertinent aphor: 37. 38. l. 5. Hippocr. IV. Ratione extremitatum, hinc pedes

cum

cum capite magnum habent consensum, unde in affectibus capitis pedum lotiones.

XVII.

Neque v. arterias hoc in consensu excludere possumus, quum videamus hæc duo vasa adeò etiam esse conjuncta ut non solum se invicem perpetuo ferè comitentur, sed & quibusdam in locis quandam habeant anastomosin. Adrianus Spigelius l. 5. de hum. corp. fabr. c. 7. Salvatelliæ cum corde consensum ex anastomosibus deducit: Hinc quoque fortassè consensus digiti annularis cum corde qui vulgò statuitur.

XVIII.

Certè uterus horum vasorum ratione cum plerisque corporis partibus imprimis cum liene magnum habet consensum, undè benè monet Sennertus l. 4. prax. part. 2. sect. 3. c. 3. quod fœminæ quibus in juventute menses non rectè sese habent, sanguinemque calidiorem obtinent, adultæ hypochondriacæ fiant: Et sæpè ita affines sint uterini, lienis, & hypochondriaci affectus, ut Medicum suspensum teneant, utrum symptomata quæ ægram molestant, utero an lieni adscribenda sint.

XIX.

Respectu nervorum caput cum plerisque corporis partibus, tùm & partes inter se magnum habere consensum, extra controversiam puto. Ratione primi paris oculo uno clauso alter magis de spiritibus participat, unde ad scopum collineantes unum oculum claudimus; conjuncti enim sunt nervi optici. Ratione secundi paris unus oculus alterius motum sequitur ut loquitur Riolanus, quia in exortu suo continua est ista conjugatio.

 XX. Ra-

XX.

Ratione tertiæ conjugationis quæ palpebrarum est, consensus elicitur cerebri cum palpebris, unde patet explicatio aphor. Hippocr. l. 1. progn. & aphor. 50. l. 6. ubi inter signa lethalia refert senex noster in morbis acutis oculis semiapertis dormire, siccatos enim nervos arguit, adeoq; ipsius cerebri constitutionem vitiatam. Et tertius hujus paris ramus in nares absumitur per cavitatis tunicam diffusus unde, fit ut attactâ câ leviter sternutemus, sternutantesq; palpebras subinde moveamus.

XXI.

Ratione quarti paris, ut quidem â Spigelio distributio instituitur demonstrari potest consensus dentium & auris, hinc â sono aspero citra contactum dentes afficiuntur; nervus enim iste, ut docet Spigelius, ramo secundo & tertio in gingivas dentiumq; radices ramulos largitur.

XXII.

Propter quintam conjugationem insignes etiam oriuntur consensus; ut linguæ cum auribus, hinc ut plurimùm naturâ surdi sunt etiam muti. Reliquarum v. partium insignem consensum hujus nervi respectu observat Hildanus cent. 1. obs. 4. ubi meminit cujusdam puellæ, cui vitreus globulus auri immissus stupores lævi brachij usq; ad digitos, pollicem & indicem progredientes, ad lumbos quoq; pertingentes, imò in tibiam & pedem excurrentes, excitarit; qui torpores transmutati sint in dolores gravissimos brachij, humeri & cruris cum tussiculâ siccâ. Cæterùm hæc symptomata omnia remediorum aspernata sunt genera donec remoto globulo, spontè cessarent. Hildanus

nus causam ponit in consensum hujus paris, ut quod latissimè se extendat, qua in re ferè adstipulatur Bauhinus, contradicit Riolanus. Ordinariè tamen in laryngis musculos pertingit, unde titillatis profundius auribus tussis sicca.

XXIII.

Ecquis verò nescit consensum capitis cum plerisque corporis partibus ex sextâ conjugatione? Sanè totum ferè nervosum genus ei compatitur, pleræq; corporis partes ad invicem respondent. Hinc consensus renum cum ventriculo. Hinc consensus testium cum thorace, pulmonibus, omnibus fere nervis. Unde actus venereus tam periculosus in vulneribus nervorum, ut exemplum allegat Hildanus obs. 22. cent. 1. Recensetq; Platerus lib. 1. obs. p. m. 171. exemplum alicujus ex congressu venereo suffocati: Rationem ibi reddit ex Laurentio l. 2. anat. q. 3. quam quidem Collado c. 10. obs. in Laur. anat. quodammodo lancinat, sed in eo antiquum, cujus eum insimulat Riolanus l. 1. anthropogr: c. 4. obtinere videtur.

XXIV.

Imprimis hujus paris beneficio fit consensus cerebri & ventriculi, & cordis. Item cerebri & diaphragmatis. Quanquam enim ratione membranarum consensus reverà etiam fiat ventriculi cum capite, quod constat ex eo quod vomitus biliosus accidat non saltem læso cerebro & nervorum substantiâ, sed etiam membranis, ut benè monet Cardanus in aphor. 50. secundum Cardanum 48. lib. 6. Hippocr: tamen quia per nervos spiritus ad sensum influunt, ideoq; pleriq; anatomici potissimùm id nervis tribuunt. Sic Galenus in aphor, 1. lib. 5. Hippocr. ex vomitu æruginoso a-

dolescenti cuidam convulsionem universalem fuisse ortam observat.

XXV.

Cor certè affecto cerebro facilè in consensum trahitur, undè in aphor: 50. lib. 6. vulnera cerebri febres inducere dicuntur. Et orificium cumprimis ventriculi cum corde horum ratione consentit, ut cardialgiam patientibus usu venit. Id quod non modò ob vicinitatẽ, sed etiam quia plures nervi ad cor penetrant, ut demonstrat Fallopius observ. anat. p. 426. fieri constat.

XXVI.

Consensum diaphragmatis cum cerebro, nemo nisi qui ipsam τῶν φρένων vocem, qua diaphragma veteribus notatur, audire recusaverit, negabit: Notumq; est practicis sæpè affecto diaphragmate phrenitidem oriri. Sanè hinc risum in vulneribus capitis & nervorum admodùm esse periculosum conjecturam facere poterimus. Recenset ejus rei historiam Hildanus cent. 1. obs. 23. remq; latè deducit ex doctrinâ musculorum, qui videatur. Eodem modo respectu aliarum nervosi generis distributionum varij sunt consensus, quos brevitatis gratiâ omittimus.

XXVII.

Tandem ratione ligamentorum, licet ipsa propriè non sentiant, consensus tamen oriri potest, quia multùm commodant, adeò ut ijs læsis quàm maximè periclitentur. Magnum certè momentum in umbilico, cujus vena ligamenti vice ad hepar fungitur, ut Hildanus cent: 1. obs 53. eo læso statim vitam finitam observarit. Quod licet non sit perpetuum ut notat Riol. anthropogr. lib. 2. c. 12. tamen vel ipso Riolano

teste

teste magnus umbilici consensus cum reliquis corporis partibus, adeò ut non gravius excogitari possit supplicium, quàm umbilicum frigidâ perfundere.

XXVIII.

Sic consensus est uteri cum cruribus & pedibus: Ligamenti enim uteri inferiora, processus sunt nervei teretes ac cavi, per quos facilè materia vitiosa ad pedes ablegari potest: nam licet in membranas degenerent, humorem tamen imbibere, ac ita intercutem efficere poterunt. Observat Spigelius de hum. corp. fabr. l. 8. c. 19. in fœminâ, quæ â nimio coitu mortua, reperta fuisse hæc ligamenta, qua parte vicina fuerunt utero, semine repleta.

XIX.

Nunc accedimus ad consensum per contiguitatem, nimirùm secundùm situm & adjacentiam partium inter se. Cæterùm situs iste vel erit naturalis, vel præternaturalis; neq; enim agimus hîc de morbis in situ, sed de consensu ratione situs, ubi morbus quivis vel etiam objectum externum compassionem excitare poterit.

XXX.

Exemplum naturalis situs suggerere poterit situs œsophagi, qui inter arteriam asperam & arteriam aortam ascendentem collocatus, in causa est ut nix, glacies &c. si potentur, pectori sint inimica secundùm Hippocr. lib. 5. aphor. 24. Imò hinc ratio reddi potest curâ potu frigidæ post vehementes corporis motus nonnulli protinus suffocati sint: quippe arteriâ refrigeratâ, sanguis validè coagulatus est. Vide Adrianum Spigelium de hum: corp. fabr. l. 6. c. 2.

XXXI. Et

XXXI.

Et quidem in situ naturali consensus potest alteri communicari etiam partis præternaturaliter affectæ ratione, ut gravitatis, duritiei vel aliùs molestantis ratione, ut quando renes calculo obsessi stuporem cruri inducunt ob nervum magnum, cui mediante musculo ψόας, incumbunt. Vel ratione magnitudinis: Ita Spigelius lib. 7. anat. c. 2. ex arteriarum carotidum venarumq; conterminarum ramis, nervis opticis vicinis, nimium repletis per compressionem cœcitatem fieri posse statuit. Vel ratione intemperiei, quem in sensum affectis naribus cerebri quoq; affici temperiem probabile est, quum Julius Casserius Placentinus l. 3. de fabr. nasi c. 2. narium temperiem commodare cerebro ratione temperamenti sicci, quo aerem amiciorem cerebro humido reddat, opinetur. Vel ratione alia fieri potest consensus, quæ omnia quàm angustis includi disputationis cancellis non possint, non adducenda.

XXXII.

In situ præternaturali nullum etiam subesse poterit consensûs dubium. Videmus enim, ut paucis nos expediamus, in partibus luxatis, qua ratione parti inferius sitæ nutrimentum intercipiatur, adeoq; ea pars in consensum trahatur. Vide aphor: 60. lib. 6.

XXXIII.

Datur prætereà causa quasi composita consensus, quando ratione membranarum & sitûs simul id evenire videtur, quando una membrana ob vicinitatem alteram in consensum pertrahit, quale quid accidit quando ob vermes in ventriculo latitantes excitatur tussis, non tàm propter vapores, quàm ut monet Senner-

nertus lib. 2. part. 3. c. 5. prax: ob vellicationem membranæ œsophagi, quæ membranam asperam arteriam investientem consentire facit.

XXXIV.

Hinc forsan evenit ut ij, qui lumbricis molestantur, nares fricent, quia ut docet Julius Casserius Placentinus lib. 3. de fabr. nasi c. 6. membrana narium interior ad asperam arteriam descendit, & ita irritatâ membranâ tracheæ à membrana œsophagi naribus quoq; stimulus communicatur. Eandem ob causam evenire probabile est, quod quidam commotâ tussi vomitum patiantur.

XXXV.

Atq; hæc quidem de consensu partium corporis mutuo delibare sufficiat ne ultrà intentionem res ipsa excrescat: Quanquam non negemus dari speciales plures consensuum rationes, quæ tamen ad generales positas classes optimè referri poterunt. Et dentur interdum consensus, quorum ratio in hac mentis nostræ caligine latet, de ijs tamen, ut rationem excedentibus, non usq; adeò sumus solliciti.

DEO TRIVNO LAVS ET PERENNIS GLORIA.

